de aº 1603.

31.

Ad Serenissimum Electorem Palatinum
Fridericum IV &c:

Serenissime Elector: Offerimus T. S. Facultatis Theologicae responsum ad literas Synodales Ecclesiarum Gallicarum: quod quoniam in confesso est, Pontificis Romani potentiam in Germania non aliunde intantum brevi tempore crevisse, quam ex Evangelicorum intestinis dissidiis: adeò quidem, ut si sic porrò pergant sese invicem mordere, et ipsorum, et puritatis Evangelicae veritatis oppressio in Germania sit secutura: eà mente à nobis est confectum, ut existimemus Ecclesias Gallicas mature de inconvenientiis illis admonendas, mediumque necessarium verae unionis atque concordiae, quantum in nobis est, proponendum. Confessiones quidem Ecclesiarum reformatarum in Gallia, Anglia, Belgio, Germania, Bohemia, Polonia et Ungaria, Dei gratiâ optimè consentiunt: sed non minus quoque est necessarium, ut in ista unitate permaneant: neque unquisque sibi novum quid excogitet: praesertim in praecipuis articulis doctrinae Ecclesiasticae: in quibus omninò non ferendum, ut diversa in Ecclesia Dei passim proponantur: quamquam in controversiis scholasticis illud non usque adeò severè ob infirmitatem humanam possit observari. in quibus nunc reverendus Dominus N. virum caeteroquin et doctrinâ et pietate maximè conspicuum, summisque charismatibus ac donis praeditum, tamen in multis peculiares suas habet opiniones, quae non omnibus approbantur aut placent. Neque judicamus operae pretium, ut ipse reus à Synodo Gallicana per literas offendatur: sed ut absque scripto sola Confessio illi mittatur: cui dubio procul lubens subscribet: nisi forte praeter spem nostram Articulo XXXVII. non nihil offendatur. Reliquos verò, qui se Lutheranos appellant in Germania, ad pacem et concordiam in Evangelismo adducere videtur, quidem difficile, sed profectò summè foret necessarium. Optandum autem Christianos

Principes authoritatem suam in hoc arduo negotio tandem serio interponere: cum perpetuis Theologorum scriptis, colloquiis, disputationibus aliud nil hucusque sit effectum, quam ut dissidia et alienationes animorum nimium quantum creverint, idque eam potissimum ob causam, quod inquieti quidam, et ab omni moderatione Theologica alienissimi Dyscoli, Vbi Ecclesias tribunitiis suis concionibus, calumniis et mendaciis turbare non cessent. Quod si igitur publica ~~pub~~ Principum authoritate vel id solum impetrari queat, ut turbulenti isti stentores coërceantur, intempestivae et cum imperito praejudicio conjunctae condemnationes alterius partis prohibeantur: donec utraque pars in legitima Synodo possit audiri: certe meo judicio via aliqua ad futuram ~~opinionem~~ unionem et concordiam jam parata foret. Atque ut tanto commodius illa praeparetur, non inconsultum fuerit (quod et videtur Synodo Galicanae) breve aliquod et perspicuum scriptum adornare, in quo praecipui Articuli fidei compendiosè contineantur sepositis omnibus controversiis, ad salutem minime necessariis, et in quibus plus Scholasticae ~~dis~~ subtilitatis, quam Christianae aedificationis appareat; ac promitte doceatur, has ipsas tanti non esse, ut propterea pax Ecclesiastica dissolvatur, quando inter utramque partem de fundamento contra Papatum summa est consensio. Quod attinet ad Augustanam

Augustana confessio ejusque fundamentum doctrina Prophetarum et Apostolorum.

Confessionem, ejusque Apologiam, quia utraque provocat ad Prophetarum et Apostolorum doctrinam, dubio procul verus ac genuinus illius sensus minimè adversatur nostrae Catecheseos doctrinae, aut Reformatarum Ecclesiarum Confessionibus: qui consensus revera manifestissimè apparet in harmonia omnium Confessionum Genevae edita Anno 1581. et recens tunc evulgato libro Concordiae opposita. Quo nomine plurimae Ecclesiae Reformatae nullo modo consensum cum

Lutheranis refugient: tametsi in Articulo X. non exiguus
scrupulus, qui tamen ex Articulo XIII. et Apologia facile
tolletur. Sit igitur harmonia Confessionum denuo in lucem
producenda: ut et quaestiones de Sacramentis ex praedicta
confessione et Apologia desumptae: nec non caput IX. Exege-
seos Ursinianae de Coena, una cum Epilogo admonitionis Neu-
stadianae. Haec namque et similia scripta verbo Dei [illegible]
sunt consentanea, summa adhibita moderatione in negotio
hoc apprime necessaria. Quomodo vero statibus Augustanae Con-
fessionis per legatos utrorumque Principum commode possit
offerri: de eo pro eximia sua prudentia porro delibera-
bunt Domini Consiliarii.

Caeterum confessionem Gallicanam perlegimus, deprehendi-
musque per omnia doctrinae verbi Dei, et Christianae Cate-
chesi, ut et Confessioni Palatinae plane esse consentaneam.
Oramusque Deum pacis, ut pro paterna sua voluntate
afflictis ac turbatis Ecclesiis aeternam pacem velit
largiri. Anno 1603. die 18. Decembr.

David Pareus Decanus, nomine
Theologicae Facultatis.

Joh: Jacobo Grynaeo D. Pareus 32,
S. P.

Charitas pater reverende, libenter petit et mutua
praestat officia. M. Nissvaletus tua commenda-
tione quantum adiuvetur nobis curae erit, ut vel
in Casimiriano eum sublevemus, licet hic difficulta-
te reperientur[?] non careat eo quod instructuram
diuque ruinam minitantis magni nunc fabricae
reparationis sumptus, et propterea ad tempus suspensa
sint pleraque stipendia: vel ab Ecclesiasticis functi-
onem aliquam impetret: modo aliquamdiu per in con-
tubernio suo aere se sustentare possit. Iste Henri-
cus Schoterg ad nos concessurus, sibi aditum per
me fieri petiit, quod ei denegare nolui. Est prae-
[illegible]: orthodoxae religionis amans: